

§. II.

Sed nos nequis nimium erraturos existimet, continebimus nos ea regione, quam diplomatum, quae dicunt, litterarum-que publicarum ornant deliciae, custodit fides, fertilem reddit copia et amoenum. Habet enim haec doctrinae pars incredibilem quandam, meo quidem iudicio, et prope singularem tam ad delectandum vim, quam ad instruendum, ut qui semel ea fit captus, aegre possit ab hoc sensu diuelli. Accedit, quod nihil magis iuuenis, quamuis iure leuiter eruditi, et aetatem, et industriam, et exercitationem, et spem decere atque alere videatur; cum haec fit diplomaticae cognitioni ratio, ut, quae discantur, offerat infinita, quae inuestigentur, difficillima, quod vero illi impendatur tempus, immensum sane postulet et per omnem vitam diffusum. Si quid praeterea apud me potuit doctorum hominum grauisimorumque auctoritas; (patris vero vel vnus omnia potuisse quis dubitauerit?) hac etiam effectum est, ut, a quo animus numquam esset alienus, in id genus exemplo traheretur, voluptate atque studio incenderetur. Com-mouit etiam vehementer, quod more suo grauer, sed non minus vere et probabiliter protulit effatum Io. PET. a LVDEWIG^a), qui: „Maneo, inquit, in illa sententia, ante reipublicae nostrae no-
*titiam non fore sinceram, genuinam, constantem, integram, omni-
 que fallacia, fuco, fraude et pigmento liberam, quam habeamus et
 Historiam Diplomaticam et Diplomaticam Iurisprudentiam, siue
 illa publica sit, siue sacra, siue clientelaris, siue etiam ciuilis.*“
 Quis enim testi tam locupleti, tam idoneo fidem haud habeat? auctorem spernat adeo expertum? Cui ingenium tam depres-
 sum et humile, ut ne in hanc quidem rempublicam, cui se for-
 tunasque suas deuouit, perfecte planeque et ad vsum accom-
 modate introspicere efflagitet? His adductus rationibus et hodie
 maxime hoc dicendi sumsi initium, quod TIBI me, Pater, per-
 discendi patrii iuris probaret cupidissimum. Certe Feci, quod
 potui.

a 3

a) Reliq. MSr. omnis aevi Diplom. T. I. praefat. p. 1.